

videntur illam perspicuitatem, quâ orationis sensus cuiuspiam, istius linguæ, quâ expressa est, gnaro atque perito sine ullâ interpretatione, aut vocabulorum expositione innotescit, ita ut illud *per se* non neget præviam istius linguæ cognitionem, usu aut institutione acquisitam, sed tantummodò interpretationem. Atque hæc si ipsorum sit mens, facient communem loquendi usum S. Scripturæ interpretem. Cùm enim statuunt, loca obscuriora exponi per clariora, & horum sensus per se, hoc est, ut jamjam diximus, per communem usum: utique non erit, acuratè loquendò, Scriptura sui ipsius interpres; sed tantum quædam ejus loca aliorum, quemadmodum & ipsi agnoscunt: At integræ Scripturæ communis loquendi usus, respectu locorum quidem obscurorum remotus, clariorum autem proximus. At verò hunc non esse idoneum legitimumque S. Literarum interpretem; imò omnium falsarum interpretationum ferè unicum fontem, ex eò manifestum esse putamus, quòd maxima hominum turba, à quâ communis loquendi usus petitur, & erret, & perversos monstrososque de Deò rebusque divinis habeat, ac foveat conceptus, quos si quis S. Literis inferat, iisque intelligendis exponendisque adhibeat, quid aliud, quæso, quàm à Dei sacrorumque Scriptorum sensu longissimè remotas cudere, ac proferre poterit expositiones.

5. Nec etiam Reformatos, quamvis ego, quâcunque etiam diligentia atque attentione circumspexerim atque inquisiverim, invenire non poterim, quid aliud per se clarum in orationibus statuere queant, hoc velle, aut si qui adèd rudes inconsiderantesque reperiantur, posse intelligere, hinc palam evadit, quòd perplura in Dei verbò occurrant loca, quæ quidem vocabulis, construendi que modis, communi loquendi usu cognitis, constant, adèdque hæc ratione clara atque perspicua sunt: attamen ab interpretibus non eò sensu, qui sese primò intuitu legenti spontè offert, accipiuntur; sed in alium, ab illis quandoque longè diversum pertrahuntur; cujus generis suprâ cap. 3. §. 7 quædam in scenam produximus, quibus addi possunt sequentia. *Ne juretis omnino: &c. & Esto autem sermo vester, etiam, etiam, Non, non, &c.* Matth. 5. vers. 34. 37. *Ne resistatis malo: sed quisquis te cædet in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram. Et ei, qui velit tecum contendere, ac pallium tuum capere, dimitte ei etiam tunicam. Et quisquis te angariabit ad milliare unum, abi cum eò duo, &c.* Matth. 5. vers. 39, 40, 41, & id genus similia quamplurima, quorum sanè ex communi loquendi usu obvium, & apertum sensum non repudiarent, si inde orationum perspicuitatem deducerent ac derivarent.

6. Verùm equidem, quid igitur ipsis est, vel esse debet locus per se clarus? Superiùs cap. 3 fusè egimus de orationis obscuritate ac perspicuitate, distinxi-